

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Gesammelte Schriften

Philologische Schriften

**Mommsen, Theodor**

**Berlin, 1909**

VII. Theod. Mommsenii Excursus ad Ciceronis or. pro Fonteio cap. IX

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1925)

## VII.

Theod. Mommsenii

## Excursus ad Ciceronis or. pro Fonteio cap. IX § 19. \*)

Agitur hoc loco de portorio ab iis solvendo qui ex Italia in 477 Galliam vinum navibus portarent; nam praeter Massiliense Italico vino maxime usos esse Gallos docet Posidonius apud Athen. IV p. 151 E innuitque Cicero hic cum ait *nostros fructus*. Naves igitur intelleguntur quae appellebant Narbone, qui ea aetate unicus Romanorum portus maritimus fuit in Gallia transalpina; neque tamen Narbone neque in agro Narbonensi portorium exactum est, ne coloni Narbonenses cives Romani eo gravarentur, sed ad vias quae a Narbone ad provinciam Romanam et ad populos ea aetate adhuc liberos ferebant. Primaria statio collocata est Tolosae, quo a Narbone inter montes Pyrenaeos et Gebennicos natura ipsa viam patefecit quodque oppidum in provincia Narbonensi primum inter provincialium civitates locum tum obtinuisse nemo dubitat. A Tolosa cum proxime abesset qui eo tempore fuit terminus provinciae Romanae et viae inde exirent et in Hispaniam et in Aquitaniam et Burdigalam et ad Cadurcos, nullo alio loco commode institui potuit statio quo vini ad hostem portandi portorium solveretur nisi Tolosae; quare ubi codex habet *vellentelosi* vel *vellentlesi* in archetypo fuisse videtur *vellent tolose*. Qui de Elusa cogitaverunt, quae est in media Aquitania, iis antea docendum fuit quomodo statio portorii vini ad peregrinos vehendi in ipso hostico solo collocari potuerit. Neque de Elusione, qui vicus est inter Tolosam et Narbonem, recte cogitatur; qui enim seire potuerunt eo loco stationarii vinum utrum ferretur ad provinciales

\*) [In: Ciceronis opera ex recensione Orellii, ed. altera. Vol. II Pars I. Turici 1854, Seite 477—478. Die Stelle Ciceros lautet bei Orelli so: *Cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi invidiosissimum et maximum esse voluerunt. Crimen a Plaetorio, iudices, ita constitutum est: M. Fonteio non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueret, sed, in Italia iam hac proposita ratione, Roma profectum. Itaque Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse, Segoduni Porcium et Munium ternos, Volcalone Servaeum binos et victoriatum, atque in his locis Segoduni et Volcalone ab iis portorium esse exactum, si qui Eburomago, qui vicus inter Tolosam et Narbonem est, deverterentur neque Tolosam ire vellent: Tolosae Oduluscantum senos denarios ab iis, qui ad hostem portarent, exegisse.]*



an ad peregrinos? Neque tamen sufficebat Tolosana statio, cum via Tolosa Narbonem diverticulum haberet ad vicum aliquem Cobi-  
 machum, quo qui diverteret, non Tolosam perveniret sed Secrodunum  
 et Vulchalonem. Sic omnino tria haec nomina in codice scripta  
 sunt; quod enim priore loco *croduni* legitur, factum est quod primam  
 syllabam absorbit praecedens *exegisse*. Neque opus est docere  
 quantopere sententiam perverterit Wesenbergius (Observv. in or. p.  
 Sestio p. 26) scribens *Cobiamachum* pro *Cobiamacho*; sane non diverte-  
 bant Cobiachum, sed Cobiachum Secrodunum et Vulchalonem.  
 — Tres hi loci ubi fuerint, quaeritur. Cobiachum Walekenær  
 (géogr. anc. des Gaules I. 194) putat esse vicum qui hodie dicitur  
 Cambiac «au midi de Caraman et d'Auriac et dans la direction de  
 Toulouse à Narbonne»; quod non probo, neque enim nominis simili-  
 tudine haec quaestio diiudicanda est neque viam Tolosa Narbonem,  
 in qua ipsa Cobiachus fuerit necesse est, Cambiaci transisse credo.  
 Omnino diiudicabunt hanc quaestionem qui in viae huius diverticula  
 aliquando accuratius inquirent, quam adhuc factum esse videtur.\*)  
 Quod si mihi huiusmodi rerum notitia plane destituito coniecturam  
 proponere licet, pro Cobiachum vel potius Cobiachago restituerim  
 aut Sostomagum (si quidem emendate sic scribitur in itin. Hierosol.  
 p. 551, quod unum huius vici memoriam servavit) aut Hebromagum  
 sive Eburomagum, qui vici eunti Narbone Tolosam hic lapide LXXII,  
 478 ille lapide LXXII occurrunt. Inde non incommodè divertitur Segro-  
 dunum Rutenorum, quod hodie est Rodez; sic enim scribendum  
 videtur pro Secroduno. Quod oppidum solet quidem hodie Rutenis  
 provincialibus abiudicari, sed fit hoc ex coniectura d'Anvillii (notice  
 de la Gaule p. 562) parum certa, neque quidquam obstare videtur  
 ne eo extendatur provincia Narbonensis. Vulchalo vel potius Volcalo  
 forma nominis plane Gallica ubi fuerit, non constat, nisi quod in  
 agro Volcarum sive Tectoragum sive Arecomicorum fuisse non facile  
 quis negabit; quo optime pervenire potuit qui Ebromago diverterat.  
 — Ad lectionem quod attinet, praeter ea, quae supra notavi, delevi  
*victoriatos m post ternos*, ne nimis inaequalia vectigalia efficiantur.  
 Deinde pro *binos et victoriatos m* (quo loco qui deleverunt *et*, non  
 cogitaverunt male dici pro denario binos victoriatos) scripsi *binos et*  
*victoriatum*. Oduluscanti nomen num corruptum sit et, si est, quo-  
 modo emendandum, in medio relinquendum est; Gallica nomina in  
*atus* desinentia non rara sunt, ut Adnamatus, Gutruatus. *Exegisse*  
 pro *exegissent* emendavit Pantagathus.

\*) [Es ist m. W. bis jetzt nicht geschehen.]